



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Humana vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Gratiis similitudinem præ se ferre videtur, pariq; cum iis illecebra homines illectare. Demumq; hæc illa videtur Amphionis Lyra, cui sponte saxa etiam paruisse perhibentur: cujus rei mentionem facit Apollonius Argonauticis, & Antimenidas primo, donatamq; Amphioni Lyram eam dicit à Musis, quamvis Diolcorides ab Apolline, à Musis tamen etiam Pherecydes Hist. lib. 10.

*Et Amphion
&c. Saxa
movere so-
no testudi-
nis Lib. 10.
Historiarū.*

SEDATUS ANIMUS. CAP. X.

Ridiculum forte nostris videatur, si quis non unum hominem tantum armis instructum quippe Achillem cithara canentem pinxerit, verum & universum exercitum in aciem descendentem, ad citharæ modulos progredientem fecerit quoniam neque citharædi quicquam commune cum armis habere judicantur, neque milites, ferocesque homines ullam hodie liberalium artium disciplinam assequi dignantur. Verum si Lacedæmoniorum disciplinam & instituta respiciamus, invenimus eos ad Lyram cytharæque sonum acies instruxisse, rejeçtisque tubis, & classicis aliis, ad ejusmodi modulationis sonum pugnam inire solitos, id quod indicat illos sedatori quodam animo prælium aggredi consueße. Nam & Homerus strepitum & tumultum in congressu primo barbaris dedit, cum Græcos sensim & taciturnos progredi dixerit. Hanc tamen in Pompejo contationem reprehendit Cæsar, cum in Pharsalia victor evasisset.

HUMANA VITA. CAP. XI.

Qui vero per Lyram humana vitæ rationem exprimi dixerunt, tam eorum, quæ superius de sensibus, atque anima, deque mortalium institutis attulimus, rationem habuisse mihi videntur, quam etiam de naturæ nostræ conditione rem ipsam perpensis. Nam cum in Lyra septem discrimina vocum celebrari comperissent, humanæ vitæ tenorem eadem assidua agitari varietate animæ adverterunt: septima enim hebdomada mas in utero fabricatus existit: septima post partum hora manifestum aut vitæ aut mortis argumentum affert: septimo post die umbilicus astringitur, ac foli defecit, post bis septem manifestum est luminis indicium, post septies septem obtutus firmitas, atque cognitio. Videmus mox à mense septimo dentes pullulare, post bis septem sessionem esse tutam, post ter septem verborum articulationem, post quater septem incessum, post quinquies septem lacris horrore fuboriri, post annos demum septem primoribus dentibus expulsi validiores enasci, ac perinde vocis sonum integrum fieri: secundo vero septenario pubescenciam, ac emittendæ genituræ facultatem, roburq; jam ad virilitatem spectare: tertio lanuginem, & crescendi finem: quarto robur, & membrorum plenitudinem. Quinta vero hebdomada, cum virium augmentum, quantum unicuique esse datur, absolutum sit, congruum nuptiarum tempus à Platone conscribi, quod septimo Legum habetur. Sexta autem, partes collectasque vires incolumes servat, ac prudentiæ vigorem affatum subministrat. Septima, diminutionem quippe virium, sed perfectum intellectus & rationis incrementum habet: quare soliti sunt milites ea ætate rude donari, & consiliis rebusque publicis adhiberi. Atque hæc de ratione Horatius ad Meccenatem scribit, se jam donatum rude: nam qui undenos Decembres quater jam, ut ipse de se dicit, expleverat, per septimam hebdomadam deferri jam ceperat. Octavo mox septenario perfectionem & in intellectu, & in ratione videre est, qualis major in unoquoq; jam sperari debeat. Nonus humanitatem ac mansuetudinem adducit. Decimus vitam finiendi plerumque desiderium: quæ omnia versibus elegiacis Solon luculentissime complexus est, Lyramq; suam ita temperavit, ut humanæ vitæ concentum, sonoramque vocalitatem anno septuagesimo terminaret, quem ubi mortales exceßerint, desipere jam, & corda modo hac modo illa subinde videntur aberrare. Neq; multum ab hujusmodi consideratione, quod Magnus Basilus per citharam corpus interpretatur: nam & alii Theologi Psalm. 57. *Exurgere psalterium & citharam*: per psalterium animam, per citharam corpus intelligi volunt, quod ita pluribus esse locis acceptum Euthymius observavit.

LYRÆ FORMA. CAP. XII.

Si quis vero Lyram, qua fuerit apud antiquos specie, intueri velit, non ignoret constare illam ex binis cornibus, jugo, testudineaq; testa: talem enim, ut in Amphione Philostrati est, Mercurius

Ffff

exco-